

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 18 (1904)

Artikel: De Beatissima Virgine Maria Matre Dei
Autor: Leonissa, Josephus a
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761652>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 13.03.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

den Akt begreift und auf einen unbewegten Beweger, einen actus purus schließt, endigt mit diesem Aufblick nach oben, während die moderne Bewegungslehre in den allgemeinen Ausgleich, die universelle Grabesruhe ausläuft. Wo ist da die Wahrheit, wo der Fortschritt? Alle Entdeckungen im einzelnen, alle Fortschritte auf chemischem und physikalischem Gebiete, alle Errungenschaften der Technik vermögen den philosophischen und moralischen Ausfall nicht zu ersetzen.



DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI.

SCRIPSIT

P. JOSEPHUS A LEONISSA O. M. CAP.



Vergente iam anno 1901 editum est opus, de quo accuratius referendum sit, omnino dignum: Tractatus de Beatissima Virgine Maria Matre Dei, auctore Alexio Maria Lépicier Ord. Serv. B. M. V., in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiae Professore (8^o, pp. XXXII, 484; Parisiis, Lethielleux). Quod egregium opus de seipso testimonium perhibeat, quam plurimum eiusdem verbis uti intendimus. Sed qua ex re initium capere melius possumus, quam ab Epistola, quam Leo P. P. XIII die 26 Augusti 1901 benignissime cl. Auctori scripsit?: „Almam Dei Matrem, quam Nos a pueris impense amavimus nunc vero in devexa aetate, post tot benefacta Eius, adamamus impensius, ab omnibus rite aestimari ac vehementer diligere magnopere desideramus. Cum igitur volumen a te accepimus, in quo de Beatissima Virgine Maria Matre Dei data opera disseris, iucunditate animum perfundi sensimus, teque peculiari benevolentia complexi sumus. Neque solum materia id fecit quam tractandam sumpsisti, sed illud praeterea quod, etsi non aequa ea sit mortalium viribus, ita tamen tractasti, ut eruditione ac soliditate nulli cesseris, multos facile superaveris. Accedit autem estque sane ea laus potissima, quod, cum in scribendo disputandoque scholastica methodo, ut decet, uti decreveris, non

ieiune id egeris, sed quadam animi suavitate qua, dum mens illustratur, fertur lector in amorem Deiparae. Benvigene igitur e coelo ac propitia respiciat Virgo, ac tibi pro votis fortunet labores. Nos vero, ut et gratiam rependamus, et tibi, de re theologica ulterius scribenti, divina munera conciliemus, apostolicam benedictionem, peculiaris Nostrae caritatis testem, amantissime in Domino impertimus.“

„Sana doctrina confertum et pietate erga Virginem Sanctissimam Dei Matrem commendabile“ comprobatur illud opus totius Ordinis Servorum B. M. V. Prior Generalis Ordinisque Censor „eximium et valde commendandum reperit“ allata hac ratione: „Ea siquidem omnia quae de Virgine Deipara sive ad fidem pertinent, sive sub humanae rationis disputationes cadunt, tam clare tamque validis suffulta rationibus exponit, vestigiis inhaerens Angelici Doctoris, ut Doctrinae sacrae studiosis tale opus maximae utilitatis futurum esse pro certo habeam.“

Quod iudicium optime iam confirmat cl. Auctoris praefatio plane digna, quae afferatur: Post Dei, divinarumque rerum cognitionem, nulla est ad vitam christiane informandam adeo utilis disciplina, ac ea quae Beatae Virginis Mariae privilegia, mores, vitamque complectitur. Siquidem tantis a Deo beneficiis cumulata est ista gloriosa Dei Mater, tanta sanctitatis praerogativa excellit, ut divinae iustitiae purissimum speculum iure meritoque meruit appellari, quasi ea omnia, quae divinitatis propria sunt, ipsa sibi, quantum creaturae fas sit, appropriata habuerit. Quum igitur hominis perfectio in hoc potissime consistit, quod imitator fiat sui auctoris, ea quae Dei sunt in semetipso, tanquam in imagine, reproducendo, hinc efficacissime propriae salutis huius providisse censendi sunt, qui huius, quae post Christum, generis nostri nobilissimum est decus, cognitione et affectu, laudes, vitamque studuerint prosequi.

Quod nunc potissimum obtinet, quum, ut ait B. Grignon de Montfort, Deus voluerit novissimis hisce temporibus revelare et patefacere Mariam, princeps manuum suarum opus, quumque de ultimis, dirisque diaboli persecutionibus, quae quotidie usque ad regnum Antichristi crescere debent, intelligi debeat celebris illa prophetia simul et maledictio Dei: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput

tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII. testatus est se iamdudum cupivisse societatis humanae salutem in aucto Virginis cultu, tanquam praevalida in arce, collocare: ex quo abunde patet quanti sit facienda plenior et profundior eorum quae ad Dei Matrem pertinent, cognitio, quae illius cultus, ex quo societatis salus quodammodo pendet, tam efficaciter promovetur.

Sed si omnibus christifidelibus tantae utilitatis est ista de beata Virgine Maria cognitio, iis profecto necessaria prorsus dici debet, quos in sortem suam Dominus hoc pacto advocavit, ut sint sal terrae mundique lumen: hac enim saluberrima doctrina imbuti, hominum, quorum Deipara Mater est, mentes instruere, cordaque movere de facili poterunt sacrorum ministri, eosque ad salutis portum feliciter perducere.

Quae quum ita sint, quoniam huc nostri qualescumque labores tendunt, ut novella levitici ordinis germina in sacrae Doctrinae semita ducamus, haud modicam provinciae nostrae partem eam esse duximus, qua huius magnae Dominae praerogativas, laudes moresque, quantum fieri a nobis posset, exponere, illustrare, defendere, iuxta sanioris theologiae, quae Angelici Doctoris est, principia, conaremur: Maria quippe utpote operum Dei mirabile compendium, in se adunat quidquid sparsim in tota theologia invenitur: unde etiam nostrarum theologiarum praelectionum seriem, quae mox, largiente Deo, in lucem prodibit, a digniori themate auspiciari haud poteramus; siquidem Maria, ut iterum ait B. Grignon de Montfort, aurora est, iustitiae solem, qui Iesus Christus est, praevertens et manifestans; ideoque agnosciprius et conspici debet, ut Iesus Christus agnoscat et conspiciatur.

Quod quidem spe haud modica erecti praestitimus, fore ut exinde plures in huius excellentissimae Matris et Reginae dilectionem, servitiumque devenirent, quum haud possit Deipara amplius cognosci, nisi plus etiam diligatur, et ratio tepescentis in eam amoris in illius ignoratione sita sit. Quum autem ista Deiparae cognitio, iste amor, ad Dei cognitionem et amorem recta conducat, constat de hac disciplina illud dici posse, quod de divina Sapientia praedicatur: Venerunt autem mihi omnia bona

pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.

Quia vero eorum omnium, quae de Beatissima Virgine dici possunt, ultima ratio ex eius elevatione ad dignitatem Matris Dei repeti debet, ideo in prima parte divina maternitas consideratur, tum in seipsa, tum in iis quae illam aut praecedunt aut subsequuntur; unde in secunda parte de ipsiusmet gloriosae Virginis in seipsa consideratae dotibus et praerogativis specialiter est pertractatum. At, quoniam divinae Bonitati complacuit ut Dei Mater multiplici ad nos ratione referretur, ideo in tertia parte Beatae Virginis officia in nos, iuraque perpenduntur. Quapropter prima huius operis pars est de Beata Virgine considerata per respectum ad Deum; secunda vero de eadem, considerata per respectum ad semetipsam; tertia demum de eadem, considerata per respectum ad nos.

Tria igitur in prima parte per ordinem ita investigantur, ut primo capite statuatur ea quae divinam Beatae Mariae Virginis maternitatem praecedere intelliguntur; cui secundo capite succedit propria disquisitio de divina maternitate in semetipsa considerata; tertio demum capite ea resolvuntur quae divinam maternitatem sponte sua sequi intelliguntur. Quae divinam B. Virginis maternitatem praecedere intelliguntur, eorum primo exploratur illius convenientia, et secundo illiusmet ratio, quae alia est in mente divina, nempe praedestinatio, alia vero in tempore, scilicet in figuris et vaticiniis Veteris Testamenti, et in ipsa huius mysterii annuntiatione, unde quatuor articuli.

Acto de congruitate annuntiationis per ordinem ad actionem in tempore divini decreti de Incarnatione Verbi ex Virgine Maria, inquiritur de ipsamet Verbi conceptione in utero Virginis, ut sciatur quasnam partes illa habuerit in conceptione Christi, quo melius determinari valeat utrum ipsa possit et debeat dici vere Mater Dei. Ubi duo per ordinem discutiuntur: primum, de eo quod B. Virgo egerit in conceptione Christi; secundum, utrum B. Virgo sit vere Mater Dei, unde duo articuli secundi capituli.

Habito, secundum fidei et theologiae principia, quod Beatissima Virgo est vere et proprie Mater Dei, pronum est ut, iuxta praemissa, ea perpendantur, quae ad divinam

maternitatem immediate consequi intelliguntur, quae sunt ut Matris Dei dignitas primo in semetipsa consideretur, et secundo in eo quod fundat specialem quamdam relationem, tum Christi ipsius ad Beatam Virginem, scilicet secundum subiectionem, tum B. Virginis ad totam Trinitatem, in quantum proprius qualibet alia pura creatura ad illam accesserit. Hinc tertii capitis tres articuli quaerunt: De Matris Dei dignitate; — de Christi erga Matrem officiis; — de relatione Beatæ Virginis ad Sanctissimam Trinitatem.

Primi articuli intentio est ut determinetur divinae maternitatis dignitas per respectum ad totum ordinem creatae rei. Sed, cum inter res creatas, potissima sit unio beatæ mentis ad Deum per gratiam et gloriam, ideo hic proprie dubitatur utrum divina maternitas, nude ac solitarie inspecta, superet ordinem gratiæ et gloriæ. Quod dignitas Matris Dei, nude ac solitarie inspecta, id est quatenus formaliter et simpliciter est maternitas Dei, sit maior omni gratia sanctificante, non omnes theologi admittunt: non desunt enim qui putant, cum Suarez et Vasquez, unionem mentis cum Deo per gratiam potiore esse unione creaturæ ad Deum per maternitatem, quam sententiam præcipue fulciunt illis Christi verbis, quibus mulierem redarguebat, quæ magnificaverat ventrem qui eum portaverat: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Noster vero cl. Auctor contendit maternitatem divinam facere maiorem unionem cum Deo, quam gratia sanctificante aut ipsa gloriæ animæ procuretur. — Ex eo quod B. Virgo est vere Mater Dei, sequitur Deum ipsum, ut homo est, quibusdam erga Mariam officiis teneri, ex quibus huius dignitas magis magisque commendatur. Inter quæ potissima sunt reverentia et amor, necnon subiectio, de quibus proinde quaerit articulus secundus. — Posito quod dignitas Matris Dei Beatam Virginem supra omnem ordinem totius creaturæ elevaverit, inquirendum venit in articulo tertio quanam veluti affinitas relatione illa se habeat ad Sanctissimam Trinitatem.

Cum, statuta divinae maternitatis veritate, deductisque eis quæ relate ad Deum inde proveniunt, fundamenta iacta sint quibus totius aedificii gloriæ excellentiæ B. Virginis structura innititur, pronum est ut ipsa Deiparæ persona in se consideretur, ut quantum humanæ menti possibile

est illius perfectiones deprehendantur, quae post Christum Deo propinquior extitit. At vero praetermittendum non est non adeo facilem rem esse huiusmodi excellentiam Deiparae in claram lucem, ut decet, exponere: cum enim omnium divinarum perfectionum veluti compendium existat, ea omnia quae in sacra theologia aut in christiana philosophia traduntur, in se quodammodo adunat, ita quod eius tractatio omnia prorsus fidei nostrae dogmata, omnia quoque philosophiae placita quadam tenus attingere debeat, unde etiam ex hoc capite omnes haereses sola interemisse dicenda sit Virgo gloriosa, cum error circa eius privilegia in errorem theologicum vel philosophicum refundi debeat. Quapropter, haud approbanda videtur eorum praxis, qui quidquid fingendi hac in re licentiam sumunt: quorum quidem agendi ratio huc demum unice tendit, ut imaginationem quidem, modo tamen insalubri, pascant, mentem vero et cor sano validoque pabulo inopia relinquunt. Cuius quidem rei praestandae ordo sequendus est quem indicat ipsamet Ecclesia dum orat: Omnipotens, sempiternus Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, praeparasti. Singillatim igitur in secunda parte est agendum de perfectione corporis et animae, mutato quidem hoc generationis ordine in ordinem dignitatis et naturae; ita ut primo loco agi debeat de perfectione animae B. Virginis, secundo vero de qualitatibus corporis. Quibus tamen tertio adiicitur, quod ad corporis, simul et animae perfectionem attinet, nempe Virginis Deiparae eiusque desponsatio et matrimonium.

Ut vero plene cognoscatur quae et quanta sit perfectio animae Beatissimae Virginis, non satis est in primo capite ab ea remove omnem imperfectionem, sed etiam necesse est investigare quatenus gratia ipsi fuerit collata. Omnis autem animae imperfectio removenda est a Deipara, tum in eius conceptione, tum in eius vitae decursu. Quorum primum sibi vult B. Virginem fuisse conceptam non solum absque omni originalis peccati labe, sed etiam absque fomite peccati, qui est veluti quaedam originalis peccati naturalis consequentia; alterum vero ponit B. Virginem vitam adeo illibatam transegisse, ut nullam unquam, vel minimam, actualis peccati maculam contraxerit. Perfectiones autem Deiparae considerandae sunt nedum in seipsis,

sed etiam in sui consummatione, scilicet in assumptione et gloria B. M. V. Consideratae autem in seipsis, comprehendunt et gratiam, et scientiam. Denique gratia Deiparae, ut apprime cognoscatur, consideratur tum in sui initio, tum in sui explicatione, sive quae respiciat gratiam in seipsa inspectam, sive quae respiciat gratiae naturales resultantias, quae sunt virtutes et dona. Unde huius capituli octo articuli quaerunt: De immaculato Conceptu B. M. V.; — utrum B. Virgo habuerit fomitem peccati; — de B. M. V. impeccabilitate; — de eius sanctificatione in momento suae conceptionis; — de eius profectu in gratia; — de virtutibus et donis B. V.; — de eius scientia; — de eius assumptione et gloria.

Ad perfectam Deiparae cognitionem habendam, post explicationem eorum quae ad eius animam, potentias et virtutes pertinent, necesse est ut de illius corpore singillatim peragatur. At quemadmodum ex anima omnes hominis perfectiones quodammodo dimanant, ita corpus ipsum quantum in se est, imperfectionum et defectuum radix existit; unde in hoc capite secundo partis secundae primo loco de perfectione corporali B. M. V. agitur, quae quidem perfectio animam habet causam; secundo autem de B. V. defectibus, scilicet de passibilitate, necnon de mortalitate, qui defectus proprie in corpore radicantur, de quibus tres articuli.

Sequitur ut in capite tertio peragatur de virginitate et matrimonio Deiparentis, quatenus et animi et corporis perfectionem sequuntur. Sed quod est unicum in mundo, ostenditur ista duo sibi pugnancia, in B. Virgine ita fuisse adunata, ut virginitas exornaverit foecunditatem, et foecunditas non minuerit virginitatem. Ut vero patet, quaestio de virginitate proprie expendi nequit, nisi praeter id quod ad corporis integritatem spectat, traditur etiam doctrina de eo quod pertinet ad dispositionem animi, in quo quidem formalis boni ratio consistit. Porro, circa B. V. matrimonium, aliud est quaerere de illius validitate, et quidem probanda tum ex Sacrae Scripturae Patrumque documentis, tum ex theologia ipsa, aliud vero liceitatis illius matrimonii rationes perpendere. At quoniam sponsae honor in sponsum redundet necesse est, specialiter etiam disquiritur de eo qui meruit eligi a Deo ut Mariae vir et Christi pater esset, nempe de S. Ioseph, quod quidem eo sedulius est praestandum, quod si in aliis dotibus Deiparae

similis exstitit, in hac certe materia simillimus praedicandus est. De eo igitur inquiritur primo generaliter qualis fuerit, et secundo quomodo virginitatem servaverit. Hinc septem articuli agunt: De virginitate B. V.; — utrum B. V. votum virginitatis emiserit; — de desponsatione B. V. secundum Scripturas et Patres; — de veritate matrimonii B. V. cum S. Ioseph theologicè inspecta; — de liceitate illius matrimonii; — de S. Ioseph sponso B. V.; — de virginitate S. Ioseph.

Cum Christus B. Virginem ipse singulariter elegeret ut sibi Matris officia praestaret, et vicissim ut iura, dignitatemque tali muneri congruentia a divina largitate reciperet, hoc quoque servandum esse decrevit, nempe eandem B. Virginem fungi debere erga nos officio Matris, nosque vicissim erga eam speciali obsequio obstringi. Quocirca quaestio etiam est expendenda, quomodo se habeat B. V. ad homines et consequenter quomodo ad ipsam homines ex divinae voluntatis decreto habere se debeant. Pars igitur tertia duobus capitibus constat: in quorum priori agitur de officiis Beatae Virginis ad nos: in altero vero de officiis nostris erga ipsamet Deiparam praestandis, seu de iuribus quibus ipsa gaudet, sive generaliter in universam creaturam, sive specialiter in homines. Facile est, sub luce doctrinae in hac parte contentae, comprehendere quam rite tutissimam salutis spem in Deiparae auxilio S. Ecclesia iugiter collocaverit, et quam iure meritoque infinitis eam pene laudibus extulerit. Quia vero omnium officiorum, quae erga nos Beatissima Virgo aliquando praestare potest, summa et fundamentalis ratio ex eo desumenda venit, quod divino decreto hominum Mater constituta fuerit in ordine ad salutem aeternam, hinc primo loco de officio Matris hominum disseritur. At, quoniam Matris officium in Beatissima Virgine duo alia officia sponte sequuntur, videlicet officium Mediatricis, quo opera sua aliquid praestat ad Deum pro nobis, et officium Intercessoris, quo illa ad Deum orationem pro nobis porrigit, hinc postquam de officio Matris actum fuerit, consideratur tum de officio Mediatricis, tum de officio Intercessoris. Quoniam vero mediatio B. Virginis tam excellens fuit, ut in opere redemptionis humanae procuranda partem habuisse credenda sit, disputationi de officio Mediatricis singularis quaedam erit disputatio subiungenda, videlicet de cooperatione a Deipara praestita in opere salutis humanae,

seu de officio Corredemptricis, unde habeat hoc primum caput quatuor articulos.

Sequitur ut ultimo loco de Beatae Virginis iuribus agatur. Quoniam vero sperari sequitur esse, hinc, ubi de officiis Deiparae erga nos agebatur, primo loco stabilita fuerunt momenta illius relationis qua Beata Virgo ex divino decreto hominum mater fuit constituta, ex quo sponte sua ortum duxerunt ea omnia, quibus huius officii munus illa exercet, sive qua Mediatrix, sive qua Corredemptrix, sive etiam qua supplex pro hominibus ad Deum Oratrix. Haud dissimili ratione in praesenti argumento procedendum est: nam primo loco momenta statuuntur, quibus creaturae, et speciatim homo, Deiparae potestati aut dominio subduntur, ut postea modus investigetur quo homines sua in Beatam Virginem officia adimplere debeant. Quorum primum in priori articulo, ubi de Virginis potestate, maxime in creaturam rationalem, agitur; alterum vero in sequenti articulo tractatur, in quo expenditur cultus quo homines Beatam Virginem prosequi debeant. Sed potestas aut dominium duplici modo accipitur: uno modo, secundum quod communiter refertur ad subiectum qualitercumque; et sic ille qui habet officium gubernandi et dirigendi liberos, dominus dici potest, in quo attenditur distinctio potestatis patriae, magistralis, aut regiae, secundum quod dominus bonum commune intendit, vel in societate domestica, vel in civitate, vel in regno; alio modo attenditur dominium secundum quod opponitur servituti, et sic dominus ille dicitur, cui aliquis subditur ut servus. At sedulo cavendum est ne ista servitus, quae, licet in peccati poenam sit inducta, quia contristabile unicuique est quod illud bonum quod deberet esse suum cedat alteri, tamen intrinsece mala non est quia hominis libertatem non perimit, confundatur cum illa alia servitute, quae per legis divinae necnon humanae dignitatis oblivionem inducta est, qua videlicet servus habetur tanquam res quadam domini et vile mancipium, quam servitutum Dominus Noster, qui instaurare omnia venit, e medio sustolli voluit, dum hominibus ingenitam suam libertatem in memoriam reduxerit et revera restituerit. Ut hic igitur ordinatim procedatur, primo loco dicendum est de dominio quod Beatae Virgini competit, in quantum Regina hominum angelorumque appellatur; secundo, de dominio quod habet, in quantum Domina vocatur, cui omnes

creaturae famulantur; tertio demum, de iure proprietatis quo in res huius mundi ex speciali titulo gaudet. In secundo articulo agitur de cultu Beatissimae Virgini debito. Cum cultus sit species quaedam honoris, qui etiam aequalibus et subditis praestatur, cum meram importet de alicuius excellentia testificationem, cultus vero non nisi superioribus tribuatur, hinc primo loco hic determinandum est utrum Beatae Virgini debeatur generaliori ratione honor quidam, aut quaedam de illius excellentia testificatio; secundo autem loco agitur de cultu proprie dicto Deiparae tribuendo; tertio demum de huius cultus natura fusius pertractatur.

Sed haec hactenus, de quibus et quo ordine agatur in opere illo, quo vero sensu spirituque ductus sit cl. Auctor, indicat perbene epilogus: Et haec scripsisse nobis per iucundum fuit, quem ad sui servitium gloriosa Virgo iam diu vocare dignata est, maternaeque benevolentiae signis iterato cumulare; quamquam illi veniam postulare cogar, tum quod rem viribus adeo imparem aggredi ausus sim, tum quod Virginis tam excelsae privilegia dotesque adeo imperfecte tractaverim. Impulit autem amor, vires computare nescius; spe certissima animum erigens fore ut, quae incomparabili sua pulchritudine opus illud inspiraverat, virtutem quoque perficiendi adiceret; et quae vita, dulcedo et spes nostra existit, materne ad regnum Christi et Dei perduceret quem fervens illius cultum augendi desiderium occupat; siquidem ista gloriosa Virgo lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerint eam, beatus.

Ubique cl. Auctor SS. Patrum secutus est vestigia insistens principiis Angelici Doctoris, qui veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. Saepius etiam consuluit alios S. Ecclesiae doctores, imprimis S. Anselmum, S. Bernardum, S. Bonaventuram, magnosque theologos scholasticos, nempe B. Albertum Magnum, S. Antonium, S. Bernardinum et inter posteriores praesertim Caietanum et Suarez. Solida in omnibus quae affert fundamenta ponere diligentissime studet. Attamen de conceptione B. V. non satis clare S. Thomae Aquinatis doctrinam proponere mihi videtur. Quod quidem paulo fusius ostendere liceat.

Cuius rei haud plana expositio inde venire videtur,

quod ratio originalis iustitiae non recte intelligatur. Peccatum originale (p. 86) cum Angelico definitur quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio originalis iustitiae; dicitur languor naturae, et est quaedam inordinatio naturae. Peccatum originale essentialiter, formaliter est carentia, privatio, defectus iustitiae originalis i. e. harmoniae, sanitatis, perfectionis, ordinati-
onis naturae, quae quidem iustitia originalis est donum gratiae, minime vero sicut gratia sanctificans supra fines naturae, sed infra eosdem. In Adamo fuit secundum Aquinatem gratia gratum faciens seu sanctificans radix iustitiae originalis ut sui fructus, quae per se nihil aliud est quam natura integra.

S. Thomas omnino hac in re congruit cum S. Bonaventura, cum S. Bernardo et S. Anselmo, atque hi omnes cum doctrina SS. Patrum, imprimis cum doctrina S. Augustini. Minime negant quod Pontifex Pius IX in Bulla Ineffabilis et iam antea Pontifex Alexander VII in Constitutione Sollicitudo (8. Dec. 1661) decreverunt, B. V. Mariae animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem. Quod una voce docent nihil aliud est quam Beatissimam Virginem habuisse debitum contrahendi peccati originalis. Explicans verba Pii IX in dicta Bulla singulari omnipotentis Dei gratia etc. (pp. 91 sqq.) cl. Auctor ipse rectissime inde eruit quod B. Virgo obnoxia erat iure naturae et vi conceptionis suae ex parentibus, contrahendo peccato originali, et proinde cuidam debito illud contrahendi erat subiecta. Unde Beatam Virginem habuisse aliquod debitum peccati originalis contrahendi est ipsam, ex vi conceptionis suae ex parentibus, debuisse originale peccatum contrahere, nisi adfuisset speciale Dei privilegium. Qua quidem expositione, nihil prorsus Virginis dignitati aut catholico dogmati trahitur, ut aliqui irrationabiliter conqueruntur; quin potius salvatur praeservationis et exemptionis ratio in B. Virgine, necnon singularis Christo proprietatis manet, quod ipse nullimode, nec remote quidem, vi suae conceptionis, fuerit peccato originali obnoxius. Praeterea, ista distinctio viam aperit explicandis in catholicum sensum

plurium Patrum dictis, quae prima fronte contra hoc dogma pugnantia videntur, atque etiam illorum magnorum Doctorum, ut nos addimus.

Quibus de Doctoribus recte iudicetur, ante oculos habendum est, quod plures non tantum simplices, tempore S. Bernardi et postea docerent, sanctificationem B. V. iam fuisse in parentibus, conceptam esse modo mirabili a S. Anna, inter quos nominandi sunt Richardus Victorinus, Nicolaus Astifragus, Petrus Comestor, Petrus Cantor Parisiensis, Petrus Abelardus, Nicolaus Stⁱ Albani in Anglia (cfr. Passaglia, De Im. Conc. B. V. Pars III^a pag. 1839, Nota 5). Quare expresse dicit B. Albertus Magnus (3. Sent. dist. 8. a. 3. 4.): „Dicimus quod beata virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui oppositum dicunt, est haeresis damnata a beato Bernardo in epistola ad Lugdunenses, et a magistris omnibus parisiensibus.“ De S. Bernardo (pp. 128 sqq.) vero iudicium hisce concluditur: Ex quo abunde constat quam inconsulte nonnulli aut citatam epistolam instar argumenti, ut dicunt, ad verecundiam, contra hoc Deiparae privilegium, anteactis temporibus, adduxerint, aut S. Bernardum ipsum tanquam Immaculatae Conceptionis hostem, etiamnum repraesentant; quinimmo, si ad ea quidem quae superius dicta sunt de modo et ratione qua dogma catholicum debeat interpretationi haberi, rite advertatur, clare patebit S. Bernardum, potius quam adversarium, Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis assertorem saltem implicitum exstitisse.

Sed quod S. Bernardus postea S. Thomas eiusque magni coaevi omnes condemnauerunt, sicut verba B. Alberti Magni allata aperte affirmant. De quibus vero aliter cl. Auctor (pp. 135 sqq.) iudicat quam de S. Bernardo. Postquam ipsissima Aquinatis verba, quae quaestionem attingunt, retulit, quid sentiendum sit, hisce concludit: Quocirca, salvo meliori iudicio, nobis potius edicendum videtur S. Thomam opinioni favisse quae suo tempore in scholis circumferebatur, videlicet B. Virginem Mariam fuisse actu in originali peccato passive conceptam, mox tamen ab illo peccato purgatam. Quae opinio eo vel maxime S. Thomae arridebat, quo magis illi videbantur per eam salvari et Christi singularissima dignitas, et universalitas virtutis reparativae eiusdem. Attamen hanc sententiam S. Thomas nonnisi tanquam probabilem opinionem retinere debuit, cum profecto illius excelsam mentem fugere haud posset

carentia in ea virtutis demonstrativae. Non enim est ulla ex rationibus adductis quae non valeat ipsismet S. Thomae principiis sufficientissime solvi. Cum autem magni nominis doctores utrinque starent, re nondum ab Ecclesia definita, Angelicus alterutram contradictionis partem tenere potuit, salvo semper Ecclesiae iudicio, cui promptissimo animo ipse, Virgine apprime addictus, obtemperasset, si sibi mens illius semel innotuisset. Sicuti vero nobis videtur, cl. Auctor non recte intellexit illam S. Thomae eiusque temporibus communiorem opinionem de B. V. Mariae sanctificatione.

Semper ante oculos est habendum, adversarios illorum magnorum Doctorum esse illos, qui dixerunt, B. V. Mariam sanctificatam iam esse a parentibus, conceptionem eius activam fuisse sine peccato, fuisse immaculatam, illam accepisse a parentibus naturam integram. Contra quos illi Doctores affirmaverunt, semper B. Virginem habuisse a parentibus naturam lapsam, vitiatam, infectam, sed hanc naturam gratia et privilegio singulari sanctificatam in illa fuisse. Si dicunt B. Virginem contraxisse peccatum originale hoc nihil aliud est, quam contraxisse illud, ut mere vitium naturae, contraxisse naturam vitiatam seu infectam, accuratissime semper distinguentes peccatum originale quoad naturam et quoad personam, i. e. peccatum originale secundum essentiam et secundum consequentiam personalem. Peccatum enim originale essentialiter, formaliter est peccatum naturae, ex consequenti tantum personam inficit et est oppositum gratiae sanctificanti, minime vero formaliter secundum essentiam, sicuti distincte dicit (3. Sent. dist. 3. qu. 1. a. 1. sol. 1. ad 2^{um}) Doctor Angelicus: „Gratia sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale personam inficit; est enim gratia perfectio personalis, peccatum vero originale est vitium naturae“ (essentialiter; cfr. dieses Jahrbuch, XV. pp. 227 sqq.).

Omnes unanimiter contendunt, B. V. Mariam habuisse quodammodo debitum, necessitatem contrahendi peccatum originale. Sed quid est hoc debitum? in quo consistit? in carne peccati B. V., in natura eius lapsa, corrupta, vitiata, infecta; vere fuit filia Adami; non miraculose, sed ordinario modo est concepta; non ergo habuit naturam integram, perfectam, non iustitiam originalem; et ideo contraxit originale peccatum, sed tantum secundum essentiam,

quae est carentia, privatio, defectus originalis iustitiae. Omnino recta sunt, quae affert cl. Auctor (p. 139) de formali et materiali in peccato originali: Primum consistit in defectu originalis iustitiae, et attenditur penes dissolutionem subiectionis debitae in parte superiori hominis erga Deum. Alterum vero constituitur rebellionem sensualis appetitus contra rationem, quae rebellio dici solet concupiscentia, seu fomes peccati. Hoc autem secundum ex primo sequitur; quia sublata per defectum originalis iustitiae debita subiectione hominis ad Deum, sequitur, tanquam huius poena defectus subiectionis virium inferiorum ad rationem. Sed quae sequuntur non omnia sunt approbanda: Et quia per baptismum restituitur iustitia originalis quantum ad primum tantum, id est quantum ad subiectionem rationis ad Deum, idcirco, in renatis remanet fomes ad agonem, ut ait Concilium Tridentinum, et eatenus vocatur peccatum quatenus ex peccato est et ad peccatum inclinatur. Sane restituitur per baptismum subiectio rationis ad Deum, non illa vero quae facta est per iustitiam originalem, naturalis, sed supernaturalis per gratiam gratum facientem seu sanctificantem. Duplex enim erat in statu innocentiae subiectio rationis ad Deum: naturalis quoad substantiam, quamvis supernaturaliter data et supernaturalis quoad originem et substantiam.

Concilium Tridentinum (sess. 5. can. 1.) expresse distinguit sanctitatem (i. e. gratiam sanctificantem) et iustitiam (nempe originalem) in Adamo ante lapsum. „Non est doctrina S. Thomae“, dicit Cardinalis Caietanus (ad IV.: in 1. qu. 95. a. 1.), „quod iustitia originalis sit idem quod gratia: sed quod gratia gratum faciens, de qua est sermo, sit velut radix iustitiae originalis, pro quanto subdit supremum hominis Deo; ut patet hic, et inferius (qu. 100. a. 1. ad 2^{um}). Et propterea facti in iustitia originali, concluduntur etiam facti in gratia; quasi iustitia originalis fuerit quasi gratia quaedam gratis data, fundata super gratia gratum faciente.“ Praecise affirmat Caietanus, remanere post baptismum privationem iustitiae originalis, quamvis reatus peccati originalis tollatur. „Scito,“ inquit (ad III: in 1. 2. qu. 81. a. 3. ad 2^{um}), „quod peccatum originale in baptizato dicitur remanere actu, et transire reatu. Quia et vere actu remanet privatio iustitiae originalis: sumus enim adhuc illa privati. Quoniam quamvis habeamus gratiam gratum facientem con-

iungentem supremum hominis Deo, non tamen habemus eam secundum hunc effectum qui est iustitia originalis, in statu isto. Gratia enim, ut in 1^a Parte (qu. 95. a. 1.) dictum fuit, est radix originalis iustitiae; quae, olim cum suo fructu perdita, per baptismum reparatur secundum se, tantum fructum factura iustitiae originalis post resurrectionem. Et vere transit reatu. Quia non remanet in baptizatis privatio originalis iustitiae sub ratione culpae: non enim amplius eis imputatur ad culpam, nec reservatur punienda. Et sic brevibus hic colligere poteris quomodo originale peccatum in baptizato actu remaneat, reatu vero transeat.“ Alius praeclarus thomista (Goudin: de gratia qu. 2. a. 2. concl. 3.) distincte affert: „Donum integritatis (i. e. iustitiae originalis) licet gratis a Deo collatum esset, attamen quoad substantiam erat aliqua forma ordinis naturalis, naturam ipsam perficiens in ordine naturali, non ipsam elevans ad ordinem naturae divinae; hoc enim praestabat gratia sanctificans. Itaque dona erant diversi generis et ordinis, proindeque reipsa distincta.“ Ita tantum recte intelligitur illud Aquinatis (ex 3. Sent. l. c.) iam allatum: „Gratia sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale personam (i. e. reatu, ut supra) inficit; est enim gratia perfectio personalis, peccatum vero originale (directe, essentialiter) est vitium naturae.“

Iustitia originalis est rectitudo, perfectio naturae, sicut dicit Ecclesiastes (7, 30): „Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.“ S. Bonaventura iustitiam originalem appellat expresse „rectitudinem naturae institutae; quaedam mentis et carnis integritas“ (cfr. 2. Sent.); et distinguit accurate iustitiam originalem ac iustitiam meritoriam quae est penes rectitudinem gratiae. Donum vero gratiae est ei illa, qua anima Deo subiecta poterat corpori praesidere et illud regere et in quadam amicitia custodire atque imperare viribus inferioribus. Solvi dicit in baptismo debitum habendi iustitiam originalem, dum per iustitiam gratiae recompensatur iustitia originalis innocentiae. „Gratia sacramentalis,“ ait (2. Sent. dist. 32. a. 1. qu. 2.), „proprie respicit corruptionem personae; contra vero corruptionem naturae non habet ordinari directe. Et hinc est, quod cum infunditur gratia baptismalis, deletur originalis culpa, secundum quod erat peccatum ipsius animae (subsistentis i. e. reatus); remanet

tamen aliquis languor in carne (seu naturae) qui est causa originalis in prole.“ Cuius rei doctrinam fusius in Commentario Sententiarum explicatam Doctor Seraphicus quasi contrahit in Breviloquio (pars 3. cpp. 5. 6. 7.). Ubi inter alia affert haec: „Certum est, quod omnes nascimur natura filii irae, ac per hoc privati rectitudine originalis iustitiae, quam privationem vocamus culpam originalem. — Sicut, si Adam stetisset, corpus suum obediens spiritui fuisset, et tale ad posteros transmitteret, et Deus illi animam infunderet, ita quod, unita corpori immortali et sibi obedienti, haberet ordinem iustitiae et immunitatem omnis poenae: sic, ex quo Adam peccavit, et caro facta est rebellis spiritui, oportet, quod talem ad posteros transmittat, et quod Deus animam infundat secundum institutionem primariam; anima vero, cum unitur carni rebelli, incurrit defectum ordinis naturalis iustitiae, quo debebat omnibus inferioribus imperare. Et quia anima carni unita est, oportet, quod ipsam trahat, vel trahatur ab ipsa; et quia ipsam non potest trahere tanquam rebellem, necesse est, ut ab ipsa trahatur et incurrat morbum concupiscentiae. Et sic incurrit simul carentiam debitae iustitiae et morbum concupiscentiae; ex quibus duobus tanquam ex aversione et conversione dicitur integrari, secundum Augustinum et Anselmum, peccatum originale. — Gratia curativa, menti nostrae a Deo infusa respicit unumquemque, in quantum tenet rationem personae singularis et individuae, non in quantum tenet rationem productivi secundum virtutem naturae. Quia ergo originale est morbus inficiens personam pariter et naturam, personam in voluntate, naturam in carne; ideo sic curatur macula originalis in mente, quod remanet infectio et sequela in carne. Quae sequela sive concupiscentia et languor membrorum simul stare potest cum gratia curativa.“

Qua cum doctrina de iustitia originali Scotus quoque omnino congruit (cfr. Hieron. de Montefortino: Scoti Summa Theologica, tom. 3., Romae 1901, Typographia Sallustiana, pp. 856 sqq. et 888 sqq.). Subtilis quoque docet, esse illam naturalem quoad substantiam, supernaturalem quoad originem. Inter alia habet (l. c.): Sciendum de iustitia originali prodiisse tamquam propria causa, ut quamdiu a primis parentibus custodita est, in eis perfecta fuerit tranquillitas et pax summa, quantum ad omnes animae

potentias. Ex quo fiebat, ut natura inferior haud inclinaretur contra rectum dictamen rationis: aut certe si suapte natura in contrarium tenderet, sic a superiori posset regi et ordinari ad id quod sequendum erat, ut tali in facto superior difficultatem nullam sustineret, nec inferior ulla afficeretur tristitia, unde pax animae et tranquillitas maxima perturbari, interrumpique posset. Magnam hanc hominis felicitatem virtute originis suae anima non accepit, ut nec modo defert; cum tamen sit eiusdem speciei seu rationis cum illa, quam Deus primo homini dedit; necesse est igitur ponere iustitiam hanc originalem esse donum Dei supernaturale. — Iustitia originalis se habet ad gratiam, quae est principium meriti, sicut excedens, et excessum. Excedens quidem, quia fini ultimo firmiter voluntatem coniunxit, quam gratia. Et profecto ita coniunxit, ut secundum aliquos, ea praediti non poterant labi in aliquod peccatum veniale: quae tamen peccata stant simul cum charitate. Vel (ab hac controversia abstrahendo) saltem ita coniunxit, ut delectabilius, et facilius erat illis affici aliqua tristitia penes partem inferiorem animae, quam ipsius delectationi acquiescere, ob quam recedendum foret ab ultimo fine. Quam sane facilitatem non inducit gratia, cum qua stat pronitas ad malum, et difficultas ad bonum. Sed in eo exceditur iustitia originalis a gratia, quod haec coniungit fini ut bono supernaturali, et per merita de principio supernaturali provenientia attingendo. Hoc non praestabat iustitia originalis, sed tantum coniungebat illo bono, ut convenienti, et delectabili. — Scotus quoque expresse (Oxon. 2. dist. 32. n. 19.) dicit, carentiam iustitiae originalis et gratiam sanctificantem absolute sibi invicem non repugnare, sed tantum in quantum fiat ista carentia culpa personae seu inficiat personam: „Non repugnant carentia iustitiae originalis absolute loquendo, et gratia pro statu isto, repugnant tamen in quantum illa carentia est culpa avertens a fine ultimo, quia conversio opposita illi pro statu isto nata est inesse filio Adae per gratiam sine isto dono.“

Quod magni illi Doctores de B. V. Maria affirmant, est, non habuisse illam a parentibus iustitiam originalem, sed carentiam eius, alias non indiguisset redemptione. Cum carentia iustitiae originalis habuit B. V. peccatum originale ut vitium naturae, naturam lapsam, corruptam, vitiatam, infectam, sed nunquam hoc vitium naturae in B. V.

Maria personam infecit, quia debitum animae habendi iustitiam originalem in ipso primo instanti creationis et infusionis eiusdem in corpus Dei gratia solutum fuit. Doctor Subtilis in re ipsa omnino congruit cum illis magnis praedecessoribus, modus tantum rem tractandi est alius: illi agunt de sanctificatione carnis seu naturae B. V. Mariae, iste vero de eius personali sanctificatione, quam illi supponunt et nunquam negant, quin etiam summis laudibus super omnes alios sanctos extollunt dicentes nunquam nec minimum temporis momentum B. V. Mariam fuisse Dei inimicam, sed semper fuisse ab ipso primo instanti creationis et infusionis animae in corpus per dilectissimam Dei filiam, sicuti e. gr. patet in locis (pp. 135 sq.) a cl. Auctore ipso allatis ex Aquinatis operibus. S. Bonaventura (3. Sent. dist. 3. pars 1. a. 2. qu. 1.) expresse affert: „Congruum erat, ut beata Virgo Maria, per quam aufertur nobis opprobrium (Ps. 118, 22), vinceret diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Unde de ipsa exponit tam Bernardus quam Augustinus illud Genesis tertio (v. 15): Ipsa conteret caput tuum. — Quoniam beata Virgo Maria advocata est peccatorum, gloria et corona iustorum, sponsa Dei et totius Trinitatis triclinium et specialissimum Filii reclinatorium; hinc est, quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum.“ Illi dicentes B. V. Mariam contraxisse actu peccatum originale sumunt hoc tantum ut vitium naturae, ut carentiam solam iustitiae originalis, non ut vitium personae, quod privat gratia sanctificante.

Quod quidem sequitur sine ullo dubio e Scoti (l. c. tom. 5, Romae 1903, pp. 294 sqq.) verbis ipsissimis. Inter alia ibidem legimus haec: Videtur B. Virgo non fuisse sanctificata ante animationem, sed post contractum originale peccatum, ex Augustino super illud Ioannis, cap. 2. Ecce Agnus Dei; solus, dicente, innocens, quia non sic venit, id est secundum communem propagationem; constat autem B. Virginem venisse secundum communem propagationem; igitur habuit corpus propagatam et formatam de semine infecto, et per consequens erat ratio infectionis eadem in anima eius ab corpore, quae in animabus aliorum pariter propagatorum. Quod etiam videtur dicere Leo Papa in sermon. De Nativit. Domini, Sicut, inquit, a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. — Ad auctoritates (has) quae adducuntur in contrarium respondetur per hoc, quia quilibet

filius Adae naturaliter est debitor iustitiae originalis, et demerito Adae caret ea, et ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum originale: sed si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille etsi careat iustitia originali, non tamen est debitor eius, quia merito alterius praevenientis peccatum datur sibi gratia, quae aequivalet illi iustitiae quantum ad acceptationem divinam, imo excedit; quantum igitur est ex se quilibet haberet peccatum originale (i. e. personaliter) nisi alius praeveniret merendo; omnes proinde propagati ex Adam sunt peccatores, quia ex modo, quo habent naturam ab ipso, habent quoque unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur (nempe gratia, quae solvit illud debitum); et ita sunt exponendae omnes auctoritates (magni illi quoque Doctores, inter quos eminent S. Thomas), quae possent contra praesentem resolutionem adduci (l. c. pp. 298 sq.).

Ad intelligendum quomodo sumat Doctor Angelicus primam B. Virginis sanctificationem, minime praetermittendum sed valde accurate considerandum, quod dicit (3. qu. 27. a. 3. ad 3^{um}): „Spiritus sanctus in B. Virgine duplicem purgationem fecit: unam quidem quasi praeparatoriam ad Christi conceptionem, quae non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis, sed mentem eius magis in unum colligens et a multitudine sustollens; nam et angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit; aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quae est Spiritus Sancti opus; et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite“ (cfr. p. 141 in opere Auctoris). Et bene advertendum, S. Thomam ita loqui in eadem quaestione, in qua dicitur docere, B. Virginem sanctificatam fuisse post animationem, ita ut quamvis minimum temporis spatium fuerit in culpa personali peccati originalis, ut servam diaboli ac inimicam Dei. Sed quid hic Sanctus Doctor docet de illa sanctificatione? „Non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis!“ Et quare non? Quia non aderat aliqua impuritas culpae vel fomitis! Sed quid tunc erat illa prima sanctificatio B. V. Mariae? Est sanctificatio naturae eius, naturae lapsae, infectae. Non recepit iustitiam originalem, sed tantum in primo instanti creationis et infusionis animae plenitudinem gratiae, ut statim post infusionem et per animae gratiam et singulare

privilegium fomes in ea ligatus sit, ut nunquam in peccatum nec in minimum actum, ne in motum quidem primo-primum inclinaret, quamvis in ea remaneret usque ad conceptionem Christi potentia ad peccandum et quidem non mortaliter solum, sed etiam venialiter, ad quod, nempe venialiter peccandum in iustitia originali non erat potentia ex carentia fomitis etiam secundum essentiam.

Propter ipsam naturam infectam, seu carentiam iustitiae originalis, cuius defectus materiale est saltem fomes secundum essentiam, B. Virgo eo maiori indiguit gratiae plenitudine et insuper singulari privilegio, ad mentem magis in unum colligendam et a multitudine sustollendam. B. V. Mariae purgatio et sanctificatio est similis illi angelorum, in quibus nulla impuritas invenitur. „Unde,“ ait Aquinas (3. qu. 27. a. 1. ad 4^{um}), „post animationem nihil prohibet prolem conceptam sanctificari: postea enim non manet in materno utero ad accipiendam humanam naturam, sed ad aliqualem perfectionem eius quod iam accepit (nempe naturae). — (l. c. a. 2. c.) Sanctificatio beatae Virginis (secundum naturam; quia de personali sanctificatione omnino sermo esse non potest ante animationem) non potest intelligi ante eius animationem duplici ratione: primo quidem, quia sanctificatio de qua loquimur non est nisi emendatio a peccato originali; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit (de divinis nomin. cap. 12). Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis beata virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpa, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpa obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpa, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur (Matth. 1, 21): Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem inconveniens est quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur (1. Tim. 4.). Unde relinquatur quod sanctificatio (naturae, seu carnis infectae) B. Virginis fuerit post eius animationem.“

Si quis adhuc dubitare vult, quin S. Doctor loquatur de sanctificatione carnis seu naturae infectae B. Virginis, obiectionem inspiciat secundam (l. c.) eiusque solutionem.

Expresse negatur, hoc B. Virgini praestitum fuisse, ut antequam animaretur caro eius sanctificaretur: „Quod si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo (nec secundum naturam nec secundum personam) contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud (Luc. 1, 35): Quod ex te nasce- tur sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum (i. e. naturam infectam), sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur.“ Sane etiam anima B. Virginis contraxit originale peccatum, nempe in quantum pertinet anima ad naturam, et quidem ut forma corporis, sed nunquam habebat anima B. Virginis subsistens culpam originalis peccati ut avertentem a Deo, ultimo fine, quia in ipso primo creationis suae instanti habuit gratiam et debitum habendi iustitiam originalem eo ipso solutum fuit. Contraxit anima B. Virginis peccatum originale etiam ut culpam, sed hoc tantum ut forma corporis i. e. secundum essentiam, ergo potentiâ tantum, nunquam actu, id est nunquam ut anima subsistens, quia non ad- erat aliquae impuritas culpae.

Actu contraxit B. Virgo peccatum originale secundum essentiam i. e. carentiam iustitiae originalis, quia naturam infectam, sed nunquam hoc vitium naturae in B. Virgine animam subsistentem vel personam infecit. Ab initio ab anima B. Virginis subsistente omnino excludendum est, quod Concilium Tridentinum (sess. 5. can. 5.) appellat: tantum id, quod veram et propriam peccati rati- onem habet. Nunquam, ne minimum quidem temporis momentum, ut verbis S. Pauli Apostoli utar (Rom. 5. sq.), regnavit in B. Virgine peccatum, sed semper, ab ipso primo instanti in anima eius subsistente regnavit gratia. Doctor Angelicus accurate distinguit animam ut formam corporis et animam a Deo creatam, dicit (1. 2. qu. 83. a. 1. ad 4^{um}) enim: „Infectio originalis peccati nullo modo cau- satur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per car- nalem generationem. Et ideo cum creatio importet re- spectum animae ad solum Deum, non potest dici quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat

respectum et ad Deum infundentem, et ad carnem cui infunditur anima. Et ideo habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici quod anima per infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur.“ Quo solo habito respectu est anima subiectum peccati originalis, quod expresse (l. c. a. 2. c.) affert: „Manifestum est quod peccatum originale causatur per originem. Unde illud animae quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subiectum originalis peccati. Attingit autem origo animam ut terminum generationis, secundum quod est forma corporis; quod quidem convenit ei secundum essentiam propriam, ut habitum est (1. qu. 76. a. 1.). Unde anima secundum essentiam est primum subiectum originalis peccati“ (cfr. de Pot. qu. 3. a. 9. ad 3^{um}). Infectio peccati originalis respicit et naturam et personam, sicut (l. c. qu. 83. a. 3. c.) dicitur: „In infectione peccati originalis duo est considerare: primo quidem inhaerentiam eius ad subiectum, et secundum hoc primo respicit essentiam animae. Deinde oportet considerare inclinationem eius ad actum et hoc modo respicit, potentias animae“ (cfr. l. c. ad 2^{um}). In secundo tantum respectu, qui non est in B. Virgine, opponitur gratia sanctificans peccato originali: „Gratia sanctificans,“ ait Aquinas (l. c. supra), „non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale personam inficit; est enim gratia perfectio personalis, peccatum vero originale (essentialiter) est vitium naturae“ (ex consequenti tantum vitium personae).

Minime ignota fuit magnis illis Doctoribus saeculi decimi tertii sententia, quam postea praecipue Scotus defendit, nempe B. Virginem secundum personam ab ipso primo instanti fuisse sanctificatam. Sed illo tempore adhuc fuerunt, qui negaverunt naturam infectam in B. Virgine, dicentes mirabiliter non via ordinaria eam fuisse conceptam et iam in parentibus ante animationem sanctificatam. Quare iam B. Albertum Magnum supra audivimus afferre: „Dicimus quod beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui oppositum dicunt, est haeresis damnata a beato Bernardo in epistola ad Lugdunenses, et a magistris omnibus parisiensibus.“ Ideo illi magni Doctores illam praetulerunt sententiam, quae distinctius naturam infectam in B. Virgine demonstravit indeque deduxit quod indigeret redemptione. Scoti vero tempore

illa haeresis omnino erat extincta. Doctores illi expresse appellant illam sententiam, quae tenet B. Virginem personaliter fuisse semper in gratia, veritati S. Scripturae consonam. Unde iam apparet, illos Doctores minime docuisse B. Virginem aliquod tempus fuisse sine gratia et personaliter in culpa originali.

Ad quod plane demonstrandum sequatur S. Bonaventurae argumentatio. Quaerit (3. Sent. dist. 3. pars 1. a. 1. qu. 1.) Seraphicus Doctor, utrum caro B. Virginis sanctificata fuerit ante animationem; et respondit quod non iisdem rationibus quas affert S. Thomas (3. qu. 27. a. 2.). Deinde (qu. 2.) quaerit, utrum anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem; et respondit quod illa sanctificatio probabilius fuit post originalis contractionem. Primo affert sententiam quae considerat animam B. Virginis creatam et subsistentem, i. e. in respectu ad Deum: Quidam dicere voluerunt, in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevnisse maculam peccati originalis. — Rationem autem huius assignant: quia decebat animam gloriosae Virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum Sanctorum, non solum quantum ad abundantiam sanctitatis, sed etiam quantum ad accelerationem temporis; ideo in instanti suae creationis fuit sibi gratia infusa, et in eodem instanti anima infusa est carni. Sed quia omnium mobilium est sapientia (Sap. 7, 24), et „nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia“ (S. Ambr. 1. in Luc. n. 15), et multo potentior est gratia quam natura; hinc est, quod effectus gratiae sanctitatis magis praevaluit in carnem quam effectus foeditatis in animam; et ideo culpam non contraxit. — Haec autem positio videtur posse fulciri multiplici congruentia, tum propter Christi praecipuum honorem, quem decebat de matre purissima fieri; tum propter Virginis praerogativam singularem, quae debuit in dignitate sanctificationis ceteros Sanctos et Sanctas praeire; tum etiam propter ordinis decorem, ut, sicut fuit persona immunis ab originali et in carne et in anima, sive in causa et in effectum, et persona utroque modo habens originale, sic esset persona media, quae quodam modo haberet et quodam modo non haberet; et ista est beata Virgo, quae mediatrix est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum.

Et hoc dicunt sonare verbum Anselmi, cum dicit, quod

beata Virgo purissima fuit „ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi“. In hoc enim notat, gradum suae puritatis inferiorem esse respectu Filii, et superiorem respectu aliorum Sanctorum. — Et ideo quasi mediam rationem huius multiplicis congruentiae voluerunt quidam apponere, addentes insuper illud, quod non repugnat veritati sacrae Scripturae et fidei christianae. Veritati, inquam non repugnat, immo potius consonat, si quis eius mysteria attendat. Beata enim Virgo Maria significata fuit per urnam, in qua positum fuit manna. Cum ergo urna illa prius fuerit impleta manna, quam posita in arca, prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima beatæ Virginis quam carni unita. Fidei etiam christianae, ut dicit positio prædicta, non repugnat, pro eo quod dicunt, ipsam Virginem ab originali peccato liberatam per gratiam quae quidem pendeat et ortum habebat a fide et capite Christo, sicut gratiae aliorum Sanctorum. Et iterum, licet illa gratia præveniret animae infectionem (i. e. actualem, minime vero potentialem), non tamen prævenit carnis foeditatem (et animae secundum essentiam). Et ideo ratione illius foeditatis iuste remanserunt in Virgine poenalitates; gratia enim sanctificationis non obviat poenae, sed culpae. Et hinc est, quod beata Virgo poenalitatibus fuit obnoxia et per Christum liberata a peccato originali, sed aliter quam alii. Nam alii post casum erecti sunt, Virgo Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret, sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto. — Et per istam viam effugiunt auctoritates et rationes, quae contra eos adducuntur, dicentes, non concludere, quod beata Virgo habuit infectionem originalis peccati quantum ad effectum, sed quantum ad causam solum. — Haec de sententia prima Doctor Seraphicus.

Bene perpendenti clare patet, minime hanc sententiam negare debitum seu periculum B. Virginis contrahendi peccatum originale ut culpam avertentem a Deo. Sed quia animam ut subsistentem seu creatam a Deo respicit, omnino recte dicit, prius, saltem per naturam, sanctificatam fuisse animam B. Virginis quam carni unitam. Sicuti enim iam supra dixit Aquinas, habito respectu ad Deum infundentem, non posse dici quod anima per infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur. Quia vero anima B. Virginis infusa iam in

gratia est, per infusionem corpori non actualiter maculari potest. Conceditur tamen gratiam non praevenire carnis foeditatem. Beata Virgo ut persona media dicitur originale quodam modo habuisse et quodam modo non habuisse, habuisse in carne sed non in anima. Sed quia sumitur hic originale ut culpa proprio sensu, non satis recte dicitur, quod haberet B. V. illud in carne solum; nam, ut supra iam (3. qu. 27. a. 2. c.) dixit S. Thomas, sola creatura rationalis est susceptiva culpae, et ante infusionem animae rationalis proles concepta (i. e. caro) non est culpae obnoxia. Distinguendo ergo in B. Virgine carnem et anima dicto sensu non satis servatur animae subsistentis seu creatae debitum seu periculum contrahendi culpam originalem. Melius ergo est dicere B. Virginem habuisse originalem culpam in natura tantum, sed minime vero in persona, quae constituitur per infusionem creatae animae in corpus. Si enim dicitur in natura, sumitur caro ut vivens sub forma corporis et tunc anima, in quantum ad naturam pertinet, quoque habet originale ut culpam, sed tantum potentiâ, quia ad naturam tantum pertinet anima ut forma corporis, seu anima secundum essentiam, quae est solum subiectum peccati originalis. Recte igitur dicitur: Probabilius B. Virginis sanctificatio fuit post originalis contractionem.

Sed haec est secunda sententia (l. c.): Aliorum vero positio est, ait Seraphicus, quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem; et hoc, quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati nisi solum Filius Virginis. — Hic autem modus dicendi communior est et rationabilior et securior. Communior, inquam (nempe S. Bonav.), quia fere omnes illud tenent (praesertim Aquinas, intimus S. Bonaventurae amicus), quod beata Virgo habuit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam non est dicere ipsam passam esse propter aliorum redemptionem; quam etiam non est dicere per assumptionem habuisse, sed per contractionem. — Rationabilior etiam est, quia esse naturae praecedit esse gratiae, vel tempore vel natura; et propterea dicit Augustinus, quod „prius est nasci quam renasci“: sicut prius est esse quam bene esse; prius est igitur animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. Si ergo caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali

inficere. Necessarium est igitur ponere, quod ante fuerit originalis culpae infectio quam sanctificatio. — Securior etiam est, quia magis consonat fidei pietati et Sanctorum auctoritati. Magis concordat Sanctorum auctoritati, pro eo quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur: „Omnes peccaverunt in Adam“ (Rom. 5, 12). Nullus autem invenitur dixisse de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem (i. e. omnimodo, omnino). Pietati etiam fidei magis concordat, pro eo quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo, quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod est omnium Redemptor et Salvator, et quod ipse omnibus aperuit ianuam, et quod ipse unus pro omnibus mortuus est (2. Cor. 5, 14); nullatenus ab hac generalitate beata Virgo Maria excludenda est, ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur: et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote Creatorem quam creaturam. — Huic ergo positioni adhaerentes, propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter antecellit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem (i. e. potentiâ culpam ipsam). Haec hactenus Doctor Seraphicus.

Ergo concludendum est de hac materia, bene et accurate distinguendo in B. Virgine naturam et personam, atque in peccato originali essentiam et culpam i. e. avertentem a Deo. B. Virgo habuit naturam infectam et ideo essentiam peccati originalis i. e. carentiam iustitiae originalis, cuius formale est subiectio voluntatis ad Deum et quidem naturalis, ut supra fusius ostendimus, materiale vero concupiscentia seu fomes, ex quo remansit in B. Virgine usque ad conceptionem Christi potentia ad venialiter peccandum, quare melius dicere videtur Aquinas fomitem secundum essentiam tantum in B. Virgine, sed ligatum gratia et speciali providentia, ne in actum inclinaret, usque ad secundam sanctificationem remansisse. Sed in secunda sanctificatione omnino, etiam secundum essentiam sublatus est fomes, quia tunc non remansit potentia ad

peccandum, sed B. Virgo in bono plane confirmata est. Qua sanctificatione plus accepit quam Adamus in statu innocentiae, qui quidem in bono non fuit confirmatus, et ideo tunc eo ipso in B. Virgine fomes radicitus extinctus est. Non in via originis accepit B. V. Maria sanam naturam, habuit lapsam, corruptam, infectam, quae non sanari potuit viribus naturalibus, non in via naturae, sed tantum in via gratiae, viribus supernaturalibus, sicuti Aquinas (Compend. cap. 224) affert: „Gratia sanctificationis per prius in anima radicatur, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam.“ — Quia cl. Auctor non recte intelligit iustitiam originalem, non bene cepit Angelici doctrinam de prima B. V. Mariae sanctificatione, in qua fuit fomes ita ligatus, ut tantum remaneret secundum essentiam i. e. potentiâ, quia adhuc remansit usque ad conceptionem Christi potentia quoque ad venialiter peccandum. Sed haec de hac re sufficient!

Gratia in Beatissima Virgine fuit perfectissima, unde quoque excellentissime in ea fuerunt virtutes et dona Spiritus Sancti (pp. 189 sqq.). Omnium virtutum comitatum inveniri in Beatissima Virgine ita exponit Angelicus Doctor (Opusc. 6. in Salut. Angel.): „Ipsa omnium virtutum opera exercuit, alii autem Sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors: et ideo dantur in exemplum specialium virtutum: sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum.“ Plenitudini vero sanctitatis et gratiae Virginis Beatae non repugnat, ponere in ipsa passionem profundae tristitiae. Quinimmo, sanctorum Patrum magisterio, necnon Ecclesiae voce edocti, asserere haud dubitamus Beatam Virginem passam fuisse in animo plusquam quemlibet martyrum, unde rectissime appelletur Martyrum Regina (pp. 236 sqq.). Hanc teneram Deiparae patienti-Filio exhibitam compassionem ita perbelle describit Leo XIII (Encycl. Magnae Dei Matris, 8. Sept. 1892): „Se Dei ancillam, eius dum fit Mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tum perpetua cum Iesu Filio ad gaudia, ad lacrymas communionem vitae instituta. Sic tale fastigium gloriae ut nemo alius, nec homo, nec angelus obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum pro meritis conferendus; sic eam superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit regina Martyrum; sic in coelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata

assidebit ad Filium, quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria redundantem tristitiae calicem sit cum illo exhaustura.“

Sed nihil dulcius, sanctius nihil, nihilque frequentius est in ore populi christiani, quam ut B. Virgo Mater nostra appelletur, quam et Ecclesia misericordiae, id est valde misericordem, Matrem invocare non desistit (pp. 368 sqq.). Quam dulcissimam matrem omnium christifidelium iterum Summus Pontifex praedicat et extollit (Encycl. A diutricem, 5. Sept. 1895) dicens: „Eximiae in nos caritatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni suo discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: Ecce Filius tuus. In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent; in qua sententia sanctus Anselmus Cantuariensis: Quid, inquit, potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis Mater quorum Christus dignatur esse pater et frater? Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Coenaculo auspiciis. Christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae, atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae conservabat in corde suo. — Ad haec vero dici vix potest quantum amplitudinis virtutisque tunc accesserit cum ad fastigium coelestis gloriae, quod dignitatem eius claritatemque meritorum decebat, est apud Filium assumpta. Nam inde, divino consilio, sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa ei paene immensa potestate. Hinc recte admodum ad Mariam, velut nativo quodam impulsu adductae, animae christianae feruntur; cum ipsa fidenter consilia et opera, angores et gaudia communicant, curaque ac bonitati eius se suaque omnia filiorum more commendant.“

Interea nolumus desistere quin ex monitu B. Grignon de Montfort, quem saepius cl. Auctor in egregio suo opere affert, nostram filialem erga perdilectam Matrem devotionem ostendamus omnia facientes per Mariam, ducti eius

spiritu, cum Maria, imitantes eius exemplum, in Maria, sub eius potenti ac benigno patrocinio, pro Maria, ad eius honorem et gloria, ut ita fiant omnia quam perfectissime per Iesum, cum Iesu, in Iesu et pro Iesu, eius Filio divino.

Ne vero nimis longus sim, concludat, qua cl. Auctor opus incepit, Leonis Papae XIII ad Beatam Virginem Mariam Precatio:

Auri dulce melos, dicere, Mater, Ave.
 Dicere dulce melos, o pia Mater, Ave.
 Tu mihi deliciae, spes bona, castus amor;
 Rebus in adversis Tu mihi praesidium.
 Si mens sollicitis icta cupidinibus,
 Tristitiae es luctus anxia sentit onus;
 Si natum aerumnis videris usque premi,
 Materno refove Virgo benigna, sinu.
 Et cum instante aderit morte suprema dies,
 Lumina fessa manu molliter ipsa tege,
 Et fugientem animam Tu bona redde Deo.

„Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria!“



FRITZ MAUTHNERS
 SENSUALISTISCH-POSITIVISTISCHE
 „KRITIK DER SPRACHE“. ¹

VON DR. M. GLOSZNER.



Wenn über den Tiefstand der Philosophie auch in unserem deutschen Vaterlande noch irgend ein Zweifel obwalten sollte, so wird er durch Erscheinungen von der Art der „Beiträge zu einer Kritik der Sprache“ von Fritz Mauthner völlig aufgehoben. Diese mit einem seltenen Aufwand von Scharfsinn und Witz geschriebenen Beiträge

¹ Beiträge zu einer Kritik der Sprache von Fritz Mauthner. Dritter Band. Zur Grammatik und Logik. Stuttgart und Berlin 1902. Cotta Nachfolger.